

# INDEX CAPITUM.

CAPUT PRIMUM.	CAPUT VIII.
<b>E</b> gria Virorum Illustrum de Melchior Cano testimonia.	<i>Pia Melchioris Cani sententia de Christi Do- mini tristitia in Passione, a reprehensorum moribus vindicatur.</i>
CAPUT II.	CAPUT IX.
<i>Diluitur prima in Melchiorem Canum accu- satio, de lesō Gregorio Magno in Dialogis, &amp; Venerabili Beda in Anglorum historia.</i>	<i>Melchior Canus Diuo Stephano Protomartyri injurios ostenditur.</i>
CAPUT III.	CAPUT X.
<i>Altera criminatio refellitur, de eodem Grego- rio lesō in Epistola 31.</i>	<i>Accusatio de vellicato nomine Societatis Jesu depellitur.</i>
CAPUT IV.	CAPUT XI.
<i>Tertia de lesō Doctore Angelico accusatio de- pellitur.</i>	<i>Judicii Pontificii in Religiosis Instituris appro- batae inefficacia, qualis a Melchioro Cano ne- gata sit, explicatur.</i>
CAPUT V.	CAPUT XII.
<i>De oppugnato Diuo Hieronymo querela refu- tatur.</i>	<i>De S. Augustino temere depresso circa immor- talitatem, &amp; originem animarum, querela repellitur.</i>
CAPUT VI.	CAPUT XIII.
<i>De actis sextae Synodi oecumenicae oscitanter lectis, ac temere usurpatis querimonia di- luuntur.</i>	<i>De commissis invicem Romanis Pontificibus Pio II. &amp; Sixto IV.</i>
CAPUT VII.	CAPUT XIV.
<i>Cani sententia de Sacramenti Matrimonii ad- ministrato ab emulorum censuris eximitur.</i>	<i>De objecta Pontificibus negligentia, &amp; oscitan- tia in castigandis Divorum Historiis.</i>

193

# MELCHIORIS CANI VINDICATIONES,

AD INSTAR PROLOGI GALEATI,

Quibus nonnullorum in ejus Libros de Locis  
Theologicis accusaciones refelluntur,

AUCTORE

F. JACOBO HYACINTHO SERRY

DOCT. SORB. &c.

CAPUT PRIMUM.

*Egria Virorum Illustrum de Melchioro Cano  
testimonia.*

NICOLAUS ANTONIUS HISPALENSIS J. G.

*In Bibliotheca Hispanica.*



**R**ATER Melchior Canus, velut sacramento rogati, vel etiam superstitione constricti, ut Fabius ait, nefas ducunt a suscepta femel persuasione discedere. Theologo quippe nihil est necesse (utor semper elegantissimis, & prudentissimis ejus verbis, eodem loco) in *cujusquam jurare leges. Majus enim est opus, atque praestantius, ad quod ipse tendit, quam ut Magistris debeat vestigiis semper insistere, si quidem est juratus Theologiae laude perfectus.* Id vero ingenium tanta expectationis non totum is scholae dedit, atque ejus consuetudine; quod fere alii apud nos solent, nescientes quam non lauta sibi ea, qua maxime gloriantur, exinde cum pedem moverint, apparitura sit suppellex. Imo cogitationes suas in id se aliquando contulisse, initio libri 10. affirmat, ut se quavis via, & ratione ab iis liberaret. Interim animadverso, verum Theologum praestare illum vix posse; qui sine litterarum secularium, & historiae cognitione, linguarumque orientalium peritia, jejune dijudicandis scholae questionibus horas omnes impenderit: non solum ab his disciplinis egregia sibi comparavit adjumenta, & ornamenta, sed & insignem eloquentiae cultum, veluti elegantissimam vestem pulcro corpori adjunxit. Quo magis instructus ad scholam rediit, cum Academia Viros illos summos amississet, qui huic Doctrinae operam dabant; prudenter existimans honestissimum se in eo exhibiturum officium Christianae reipublicae, si animum in scholam suam, ut ipse loquitur libro 10. vel repugnantem contineret. Victoria nempe ad MDXLVI. diem suum obeunte, Canus noster docendi locum e cathedra principe susceptum dicitur, qui forte jam vespere militabat. Bartholomaeus Caranza, & Miranda, qui postea fuit Toletanus Antistes, flo-

rebat eo jam tempore in Provincia Castellæ, non minus opinione litterarum, quam dignitate; quocum nostro male conveniebat, adeo ut factio sua quemque, ab ejus cognomine appellata, in negotiis domesticis seclaretur. Unde nata est fama, Mirandæ calamitatis, de qua in ejus mentione locuti sumus, aliqua extitisse Canum ex parte auctorem. Impatiens enim quisque eorum fuisse loci secundi in litterarum laude, aut in sodalium existimatione videri potest. Academico isto conspiciunt munere, Italiam ad Concilium venit sub Paulo III. Tridentinam ad urbem convocatum, ibique tam perspicacæ mentis, atque judicii maturitatis, quam profundæ sapientiæ, & singularis faciendæ laudem proximam communi omnium collegarum sententia reportavit. Cujus rei satis idoneum testimonium præstare poterit Sforza Pallavicinus S. R. E. Cardinalis doctissimus, ante paucos annos e vivis ereptus, dum in Concilii hujus historia, vulgaris linguæ Italianæ, vix usquam, quia simul commendat, Cani recordatur. In Hispaniam reversus, Salmantica adhuc docuit, succedentique vice Caroli Philippo filio gratius valde exitit: cui nempe Regi auctor fuisse dicitur, non tamen sine totius Collegii Salmanticensium Theologiæ, ac Juris Doctorum suffragatione, consilii de justitia belli adversus quemcumque supra etiam in terris dignitate sublimem, pro defensione propriæ ditionis ex cusabiliter inferendi. Quod quidem ingratißimum fuisse dicitur Paulo Quarto, summo Pontifici, vixque ab eo obtineri potuisse, etiam pacatis rebus, ut ad nutum Regis Episcopus ille Canariarum insularum in locum Francisci de la Cerda ejusdem Ordinis Dominicani, Capræ comitis filii, crearetur. Cum tamen huic honori, ne ab Hispania discederet, renunciasset; non diu post electus ante annum Provincie suæ Castellæ præfectus. Sæculi superioris sexagesimo vitam cum morte Toleti commutavit, immortalis præparata sibi fama, in opere illo vix justè voluminis, quod vere tot laudatores, & admiratores, quot lectores habet, locorum scilicet Theologicorum lib. 12. in quibus non modo vera refellendi universos Christianæ religionis hostes, confirmandique sacra dogmata ratio, ac usus exacte ostenditur; verum etiam omnia fere, quæ hodie in controversia habentur, luculentissime examinantur.

Id non nisi post Auctoris mortem, primum Salmanticae publici juris factum fuit, apud Matthiam Gastium 1563. in fol. editionem promotente D. Ferdinando de Valdes Hispanensi Archiepiscopo, & Generali Hispaniarum Inquisitore, cui Canus edendum legato reliquerat, nec tamen perfectum. Destinaverat enim is decimumtertium, ac decimumquartum libros pro colophone operis adjungere? ad quos non semel, aut bis (nempe in fine capitis 3. lib. 10. cap. 2. lib. 8. cap. 4. lib. 12. & cap. 1. lib. 11. eorum, quibus hodie fruimur) lectorem remittit. Venetiis dein prodit opus ex officina Bartholomæi Rubini 1567. in octavo, Lovanii 1569. Coloniae 1574. iterumque 1585. apud Birckman in octavo, tertioque 1603. cum Relezione de pœnitentia, &c. . . .

Præter locos Theologicos, reliquit etiam Relezione de Pœnitentia, habitam in Academia Salmanticensi anno 1548. super decimumquartam distinctionem lib. 4. sententiarum, Compluti apud Petrum Rombles 1563. in fol. Item Relezione alteram de Sacramentis in genere: Quæ una cum superiore Mediolani edita est 1580. in octavo. Judicium quoque id, cujus meminimus, de secta Jesuitarum tribuit ei is, qui sub nomine Alphonfi de Vargas latere voluit, in Relatione ad Reges, & Principes Christianos cap. 7.

atque item *Adversus statum Ecclesiæ Toletanæ*, quo infecti sanguinis homines a beneficiis hujus Ecclesiæ arcantur, aliquid scripsit, idque in lucem emissum fuisse alicubi legimus.

#### CARDINALIS SFORTIA PALLAVICINUS

*In Vindicationibus Societatis Jesu cap. 28.*

**P**lacet hoc loco recitare, quid existimaverit hac de re non acutus quidam Sophista, qui non tam Theologiam, quam Theologiæ fumum, & umbram per captationes, & scitamenta sectaretur; sed Theologus evoluti sæculi pereruditus, doctrina pariter, atque ingenio præstans, fama magnus, re major. Loquitur Melchior Canum, qui auro plane volumine hanc ipsam de locis Theologicis tractationem ante omnes & supra omnes est executus. Idemque primus fuit, reor, qui docuerit, & quod minus est, latinam linguam in lyceis divina effari; & quod maximum, Catholicos novatoribus bellum, & cladem inferre. Perinfernum nostræ familiæ hominem laudo: sed laus judicii manus debet esse, non voluntatis; & merito, non amoris rependitur.

#### ANTONIUS POSSEVINUS SOCIETATIS JESU

*In Apparatu Særo.*

**Q**uod ad libros locorum communium spectat, negandum non est, quin e secundo, erudito, & facundo ingenio prodierint; eo commemorandi magis, quod ipse nostra ætate primus ea brevitate, copia, dispositione, ac perspicuitate de iis peratititer egerit.

#### FRANCISCUS GARSIA E SOCIETATE JESU

*In Prolegomenis Evangelici Concionatoris, de Ecclesiæ Canariensis Præfibus.*

**V**erissime possum affirmare, unum Melchior Canum, suscipienda Monachalis Togæ auctoritate, acumen ingenii in disserendo, constantia, atque felicitate, argumentorum multiplici nexu victorum robore, in ipsa Doctorum Institutu Dominicani Academia, potuisse integræ classis vicem præstare.

#### SERAPHINUS RAZZIUS

*Prelezione secunda de locis Theologicis.*

**M**elchior Canus, natione Hispanus, professione Dominicanus, dignitate Canariensis Episcopus, Fratris Francisci de Victoria viri doctissimi quondam discipulus, Dominicanus Bannez Mandragonensis olim præceptor, & denique primariæ Cathedræ in Academia Salmanticensi aliquando magni nominis præfectus: quem ego hominem de facie novi Florentiæ, in Aediis Divæ Mariæ Novellæ transeuntem hospitem. Obiit anno Domini 1560.

#### BENEDICTUS PERRERIUS SOCIETATIS JESU

*Lib. 12. Comment. in Daniele, cap. 7.*

**E**X omnibus Theologis, qui Concilio Tridentino interfuerunt, Melchior Canus maximæ, clarissimæque famæ fuit. Nemo ab illius ætate mytheria sacrarum Scripturarum melius explicuit.

#### AUBERTUS MIREUS

*De Scripturis Ecclesiasticis.*

**M**elchior Canus fuit vir politus, & elegans, atque in Historia Sacra versatissimus.

#### ANTONIUS SENENSIS

*In Bibliotheca Fratrum Prædicatorum.*

**F**rater Melchior Canus, natione Hispanus, qui fuit aliquando Canariensis Ecclesiæ Præf. & postquam Episcopatu cessit, factus fuit Provincialis Hispaniæ, vir eloquentissimus, Græcæ etiam linguæ non ignarus, in Aristotelis, & D. Thomæ doctrina plenissime instructus, in Sacris vero litteris, & in Patribus adeo versatus, ut toto vitæ suæ tempore in nulla re alia occupatus fuisse videatur. In historicis quoque evolvendis magnifice tritus, & undequaque doctus. Unde & in Concilio Tridentino etiam viris eminentibus admirationi fuit, & ab omnibus in multo pretio habitus. Scripsit librum illum eruditissimum, qui hodie omnium passim manibus teritur, ac merito, cui titulus est *de locis Theologicis*, in quo tam insigniter, & exacte, & tanta eloquentia firmat, quæ sunt Theologo potissima, loca ad suas firmandas Conclusiones, & veluti bases, quibus nixa tota debet structura Theologica confurgere, ut nihil possit esse exactius, & absolutius. Edidit quoque Relezione quendam de Sacramentis in genere, aliam quoque de Sacramento Pœnitentiæ, dum publice Theologiam profiteretur in celebri Universitate Salmanticensi, Claruit Anno Dom. 1540.

#### DOMINICUS BANNEZ

*Prima parte, Quæst. prima, Art. 8.*

**I**nter Theologos recentiores diligentissime, ac cum mirabili eruditione Præceptor meus Canus, in locis Theologicis pertractandis supereminere videtur.

#### GABRIEL NAUDÆUS

*In Bibliographia Politicâ.*

**U**tile erit Cassandrum evolvere, qui tot lites de Religione aperte quidem componere tentavit; & Melchior Canum, qui hoc idem, sed occulte conatus est ingenio majori, quam pietate, ac propemodum admirabili judicio. Vix enim potest imaginatio consequi, quantum auctorum hujusmodi lectione Politicorum mentes acuantur, excitenturque ad saluberrime de rebus istis consulendum, quibus non unius, aut alterius hominis modo, sed universæ plerumque Reipublicæ salus, & belli, pacisque momenta continentur.

#### AMBROSIUS DE ALTAMURA

*In Bibliotheca Ord. Prædic. centur. 4. ad annum 1554.*

**M**elchior Canus vir fuit summa eloquentia ditatus, in Græca lingua, Hebraica peritus; in Sacris litteris, in Patribus, in Historiis, in Divi Thomæ, & Aristotelis doctrinâ versatissimus.

#### ADRIANUS BAILLET

*In suo Eruditorum judicio, Gallicè Parisiis edito, Tomo secundo 1. paris.*

**M**elchior Canus Dominicanus, Episcopus Canariensis, criticus ævi sui sagacissimus, ac liberrimus, ad aniles fabulas, errorumque populares, libris præsertim historicis insertos, carpentes, perstringendosque a natura factus videbatur. De eo, ubi de Theologis agemus, sermo redibit. Id unum notare in præsentia satis sit, Criticam ejus artem Vossio maxime probari; eundemque *consensum Magistrum* a Combesio vocari solitum fuisse: quamquam ejus in censendo libertas non nihil Cardinali Baronio stomachum moverit.

#### ELLIES DU PIN

*In Bibliotheca Auctorum Ecclesiæ. sæculo 16. Tom. 14.*

**M**elchior Canus sublimi ingenio pollens, non modo Philosophiam, & Theologiam apprime edoctus erat, verum etiam in historia, & pollitiori litteratura versatissimus, cultissimo sermone latino utebatur. . . . Tractatus de locis Theologicis opus plane aureum est, omnibusque numeris absolutum, summaque elegantia concinnatum.

#### JACOBUS GADIUS

*De Scripturis non Ecclesiasticis, tom. 1.*

**C**anus nomine Melchior, Canariensis Episcopus, Theologus doctrinæ, & eruditionis maximæ, cui parem addidit pietatem, atque eloquentiam, condidit insigne opus, ac memorabile de locis Theologicis communibus, in quo graviter, candideque præcipue Theologiæ, ac religionis argumenta videtur tractasse.

#### ALPHONSUS GARSIAS MATAMORUS

*Libro de Academiis, & doctis viris Hispaniæ.*

**S**ummi viri Melchioris Cani, & Bartholomæi Mirandensis, omnis illa ingeniorum, & doctrinæ nunquam satis laudata facultas, ex monumentis ipsorum non ineleganter scriptis perspicitur potest: Quæ & omnino absoluta est, perfecte diferta, in eoque constituta loco, quem multi mirentur, & pauci attingant.

## VINCENTIUS CONTENSONIUS

Libro 5. Theologiae, differt. praambula, seu commendatione locorum Theologicorum.

**D**E locis Theologicis omnium primus methodee, nec minus eleganter egit Melchior Canus, vir litteris, & eruditione praecipuus, moribus, & pietate insignis, Pontificalibus etiam infulis conspicuus, & in rebus Theologicis summa eloquentia dicendis, nulli sui temporis secundus. Insignis ille auctor integrum, & aureum librum de decem locis edidit, quem vere thesaurum dicam, ex variis fodinis extractum, in quo nihil non pretiosum, non obryzum, non numeris omnibus absolutum invenitur. Nam secum advehit omnes philosophorum hominum divitias, quas magnis aliorum voluminibus diffusas, compendiosa utilitate contrahit; non arido stylo, sed dictione selecta, ornato verborum contextu, & perquam exquisito rerum apparatu proponit. Patrum, & Ecclesiastica doctrinae gemmas non parca manu, sed plena diffundit; Et cuncta, quae sunt vel difficilia dicta, vel sensu grandiora, vel digniora lectu, excerpit, & in uno medullato volumine, Theologorum quisque profutura, transulit. . . . . Hunc quisquis serio, & attente legerit, ultro fatebitur, vix ullum haecenus librum aut copia ditorem, aut methodo commodiorem, aut varietate feraciorum, aut oratione cultiorem, aut rerum omnium digestu illustriorem (foliis exceptis Ecclesiae Patribus) post hominum memoriam prodidit: quippe in quo eximius elegantiae nitor, sublimis sapientia, & profunda eruditio de palma contendunt.

## NATALIS ALEXANDER

In Historia Ecclesiastica saeculo 16. in synopsi, articulo 2. de Theologiae saeculi 16.

**M**elchior Canus Hispanus, Canariensis Episcopus, ex Ordine Fratrum Praedicatorum assumptus, vir non solum in Scholastica, sed in positiva Theologia eruditissimus, magnum sibi nomen in Concilio Tridentino sub Julio III. peperit; ingenique sui, doctrinae, & industriae penitiae reliquit monumentum, libros 12. de locis Theologicis, elegantissimo stylo elaboratos, & Relectiones de Sacramentis in genere, & Penitentia. Obiit vir laudatissimus, cujus ingenium praeter ceteris Dominicani Ordinis Scriptoribus post S. Thomae Anglicam mentem maxime suspicio, Toleleti anno 1560.

## CAPUT II.

Diluitur prima in Melchiorum Canum accusatio, de Iesuo Gregorio magno in Dialogis, & Venerabili Beda in Anglorum historia.

**Q**uamquam tot virorum illustrium praeconiis celebratus sit Canus noster, nonnullorum tamen censura expertus est, qui sublimis licet ingenium, & omnigenam eruditionem demerati, nonnullas tamen illius opiniones improbarunt, nimiamque in alienis carpendis licentiam obicere. In iis eruditionis fama, & dignitatis amplitudine princeps est Cardinalis Baronius, quem deleo in Theologum laudatissimum fuisse aliquando minus equum, ac tum maxime, ubi nullus, aut certe minimus reprehensionis locus erat. Hunc duriore verbis excipit id Annotationibus ad Martyrologium Romanum ad diem 23. Decem-

bris, quasi nimis acrem in libros Dialogorum Gregorii Magni, necnon Anglorum Historiam Venerabilis Bedae censuram exercuisset lib. II. de locis Theologicis cap. 6. Inconstantis, & inconstituti iudicii inculcat, quod illos Gregorii libros (de Beda siquidem Historia nihil minutatim observat) quos jam nullo fere annis tam Occidentalis, quam Orientalis Ecclesia summa fide, digna veneratione, immensisque est laudibus prosecuta, ausus sit novus assertor in controversiam revocare, ac fide minuere. Hinc in Divi Gregorii laudes effunditur, multaque veterum testimonia congerit, quibus ejus Dialogorum libros commendat. Canum etiam adversus Canum adducit, quasi sui immemor de Gregorii Dialogis hoc in ipso in capite mitius pronuntiafferet, dum videlicet leges tradens, quibus veraces historias a fallacibus distinguere, atque internoscere liceat, prima lex, inquit, ex hominum probitate, integritateque sumitur. Quae omnino res locum habet, cum, quae narrant historici, ea vel ipsi se vidisse testantur, vel ab iis, qui viderunt, accepisse. Qualia sunt plerumque in Epistolis Ambrosii, Cipriani, Hieronymi, Augustini; in libris quoque hujus de Civitate Dei, in Dialogis Gregorii; breviter, in omnibus fere Doctorum Ecclesiae probatissimorum scriptis, in quibus mendacium suspicari, quod ad memoriam sempiternam transferre illi scribendo voluerint, piculum est. Magnis quippe praeclearisque virtutibus Viri sanctissimi, atque optimi id consequi meruerunt, ut in rebus hujusmodi, quas vel spectasse se, vel ab aliis fide dignis, qui spectarint, se audisse testari sunt, fides omnino illis habeatur.

Baonium imitator Philippus Labbe, lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, de libris Dialogorum Gregorii Magni sermonem habens; seque Melchioris Cani cavillos, ac machinas in examine dissoluturum spondet.

Stylum multo acrius in eandem exercet Theophilus Raynaudus, sub Petri a Valle clausa nomine delitescens, in Diatribis contra Cyriacos, multa in Virum celeberrimum pro more suo convicia congerens, & Baronii observationes dumtaxat excrībens. Male habet, Cani librum vel ob id solum non fuisse a Romanis censoribus aut prohibuitum, aut scopam mandatum. De sanctis itaque Gregorio, & Beda, inquit, talia scriptis committere ausum Melchiorum Canum, res est profecto dignissima admiratione. Nec minus suspensum est, talia scripsisse hominem religiosum, & impune tulisse: ita ut nullus iudex publicus de libro adeo petulans de Sanctis Scriptoribus iudicium continere praescribat, aut suppressendum esse, aut corrigendum. Sic sane Melchioris Cani reprehensores.

Age itaque, quid tandem in Gregorii Magni Dialogos, & in Bedae Historiam Canus scripserit, quo tam acres in se reprehensiones excitavit, paulo distinctius videamus. Veteres excuso, inquit ille libro II. de locis, cap. 6. & Sanctos, & eruditos viros, quorum & libros, & nomina volentem adscribere pudor me ac religio vetaret, nisi contra vererem, ne mea hac taciurnitas plerisque causa esset, ut aut damnarent, quae non intelligerent, aut errore vario circum Sanctorum omnium historiam vagarentur. Atque Theologum etiam admoneri opera pretium est, ne statim illi persuasum sit, omnia, quae magni auctores scripserint, undique esse perfecta. Nam, & labuntur aliquando, ut ille ait, & ovari cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati, vulgoque, ut dixi, interdum etiam indulgent. Nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur: adeo, ut Cicero Demosthenes dormitare, Horatio vero Homerus quandoque, ipse videatur. Summi enim sunt, homines tamen. Quae ego eadem de Beda, atque Gregorio jure fortasse,

ac

ac vere dicere possum. Quorum ille in Historia Anglorum, hic in Dialogis quadam miracula scribunt vulgo jactata, & credita, quae hujus praesertim saeculi Aristarchi incerta esse consuevit. Equidem historias illas probare magis, si earum auctores, jura praesentiam normam severitatis iudicii curam in eligendo majorem adjuverint. Sed quoniam modeste, & circumspetto iudicio de tantis viris pronuntiaandum est, ne in his quidem duobus rejicienda sunt plurima. Pauca enim in eis possit arguere, quamvis historiae Ecclesiasticae revocare ad severiora iudicia contendat. Ac si necesse est in alteram peccare partem, omnia eorum probari legitibus, quam reprobari modo. Haec ibi.

Ita ne vero in Gregorium, & Bedam injuriam Canus, quia & illos in historicis narrationibus oneri cessisse aliquando, & ingeniorum suorum voluptati, vulgoque indulgisse dixit? ita in Divos nimis audeat, quod quadam illos miracula vulgo jactata, & credita, quae hujus praesertim saeculi Aristarchi incerta esse censent, scripsisse notet; eorumque historiam se multo magis probaturum proficitur, si, juxta praesentiam normam, severitatis iudicii curam in eligendo majorem adjuverint? Nemo sane est iudicio vel leviter accurate, qui non talia plerumque moneat de miraculorum ac piarum historiarum scriptoribus, ex aliena praesertim fide, gesta narratibus. Idque praeter ceteris aequiori jure monere debuit Melchior Canus, qui pro sui operis instituto non piam lectionem, pro componendis moribus, fovendaque pietate, ad religiosae historiae lectionem informat, sed Theologum accuratum erudit ad manus contra religionis hostes conferendas, ex historiae fide penitus inconcussa. Valeant ergo per Canum licet ad informationem morum petita undecumque miracula, historicae narrationes a viris probis ac piis undevis acceptae; quales plerumque in eam finem ex aliena fide Gregorius narrat in Dialogis: at expungendis Haereticis valere omnia illa, sine criterio, sine discrimine, sine delectu nemo dicit, qui severiores illos saeculi Aristarchos, & Haereseos ingenium expertus est.

Egit ergo Gregorius in Dialogis pro suo instituto quod debuit, laude, eaque plurima longe dignissimus: interim tamen aeternum Historicum egit, non Polemicum. Verum personam aliam in locis Theologicis induit Canus noster, moereturque ex officio, quid Theologis congruat, ut certa & indubitata habeant argumenta, refellendis haereticis opportuna. Aliud quippe est, inquit Hieronymus contra Jovinianum, gymnasticos libros scribere, aliud dogmaticos; aliud quere, aliud desinare.

Ad haec, cum Gregorius ex amicorum fide plerumque gesta, ac miracula referat, ut loquitur epist. quinquagesima: quid mirum, si, ut erat adversa admodum valetudine, dum scriberet, & publicis Ecclesiae negotiis implicatus, atque districtus, fatis illi non fuit otii, ut singula ad severioris criticae limam vocaret; quae aliunde (quod unum illi studium erat hoc loco) & pietati favebant, & fidelium genio arridebant?

Ceterum tantum adest, ut grandia illa Gregorii, ac Bedae nomina contempserit Canus noster; ut suam potius in illos venerationem hoc ipso in loco, qui a censoribus reprehenditur, egregie testatus sit. Veteres, inquit, excuso, & Sanctos & eruditos viros; quorum & libros, & nomina volentem adscribere pudor me ac religio vetaret, nisi contra vererem. . . . sed quoniam modeste, & circumspetto iudicio de tantis Viris pronuntiaandum est, ne in eis quidem duobus rejicienda sunt plurima. Pauca enim in eis possit arguere.

Melchioris Cani de libris Dialogorum iudicium

probarunt Viri doctissimi. Petrus Gonzavilleus, operum Sancti Gregorii diligentissimus editor, usque adeo Sanctum Doctorem pia amicum fidei plus justo in enarrandis historiis dedisse putat, ut pietatis errorem illum fuisse dicat; quam non decet in istiusmodi factis adeo esse sollicitam.

In eisdem sententiam venit Natalis Alexander saeculo 6. Historiae Ecclesiasticae, ubi Sanctissimi Pontificis dialogos a Dallae cavillationibus vindicans, Melchioris Cani, seu viri doctissimi iudicium probat, ac pene transcribit ex integro, facitque suum.

Adtipulatur verbis etiam multo durioribus, a quibus Canus longe adest, Elises Du Pin in Bibliotheca Ecclesiastica, Tomo quarto, saeculo sexto. Tamesi, inquit, in dubium verti nequeat, an qui Sancti Gregorii nomen Dialogi praesertim, illius reipsa sint; quandoquidem eos ipse suos agnovit, & ab ejus discipulis, ceterisque; qui paulo post floruerunt, scriptoribus agnoscuntur: minus tamen Pontificis Sanctissimi gravitatem, iudiciumque referre videntur: adeo scilicet prodigiis profus inuitatis narrationibusque fidem omnem superantibus passim abundant. Equidem haec ille aliena fide narrat; verum nec fidem illis ita de facili adjungere debuit, nec ea uti certissima venditare. Opus in quatuor libros distributum est, in Dialogi modum, quo Gregorius ipse, ac Petrus Diaconus colloquuntur. Stylus plus aequo humilis serpit: Gesta rudi & impolita oratione narrantur: elegantia nulla, lepore nullo conduntur. Perit interlocutiones saepe semper, & inconditae: saepius etiam a proposito aberrant. Narratae historiae, sola sepe senum imperitorum stante fide, aut pervagato rumore: prodigia adeo frequentia, suspensa quoque, ac levi interdum de causa perpetrata recitantur, ut fidem universis adjungere difficillimum sit. Historias etiam nonnullas vix cum eorum, de quibus narratur, aetate conciliaveris: ut voluntariam Divi Paulini custodiam sub Vandalorum Rege. Visiones, ac somnia frequentius, quam alibi usquam, recitantur. Unde & Gregorius ipse sub finem Dialogorum proficitur, plura aetate sua, quam retroactis saeculis, de altera vita fuisse relecta. Verum haud satis scio, an quis facta illa, distaque omnia velis in se recipere.

Quid si ea libertate de Gregorii Magni Dialogis pronuntiafferet Canus? Quam dura animadversione exciperetur? At posuit ille censurae suae modum. Falli Gregorium potuisse in enarrandis ex amicorum fide, ac vulgi fama nonnullis miraculis, observavit: quia tametsi summus, homo tamen erat; multaque negotiis, curisque districtus animum totius orbis saluti intentum ad minutiarum istarum examen adducere non poterat. Quid hic porro mali, cum id de se fateatur Optimus Pontifex iis ipsis in Dialogis, quos expendimus? Miranti siquidem Petro; qui fieri potuerit, ut de sancto Abbate Equitio (quem Apostolici muneris indignum Gregorius a nonnullis amulis circumventus judicaverat) Pontifici tanto subreptum esset? responder ad rem, quam versamus, admodum apposite: Quid miraris Petre, quia salutaris qui homines sumus? An mente excidit, quod David, qui propheticum spiritum habere confitebatur, contra innocentem Jonathae filium sententiam dedit, cum verba pueri mentientis audiret? Quid tamen, quia per David factum est, & occulto Dei iudicio justum credimus, & tamen humana ratione, qualiter justum fuerit, non videmus. Quid ergo mirum, si ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui Propheta non sumus? Multum vero est, quod uniuscujusque Praesulis mentem curam densitas vastat: cumque animus dividitur ad multa, sic minor ad singula; tantoque ei in unqualibet re

sub-

subripitur, quanto latius malis occupatur. Lib. 1. Dialog. cap. 4.

Neque vero secum ipse pugnare censendus est Canus, quemadmodum opponit Cardinalis Baronius, dum in paulo supra Gregorii Dialogis iis Patrum, Scripseruntque probatissimorum libris annumerat, quibus fides omnino est adhibenda, nullumque in eis mendacium suspicari licet. Hoc etenim ejus est in Gregorium venerationis argumentum; quo eum a mendacio studiose conficito, & ad illudendum simplicibus de industria confarcinato alienum, pro sua sanctitate, reputavit. Id siquidem magnis præclarisque virtutibus meruit Sanctissimus Pontifex; ethi, ut homo erat, cespitationi, atque obreptioni esset obnoxius. Valde quippe duo illa inter se distant, mendacium, ac cespitatio: primum perverfa voluntatis, alterum humanæ conditionis est vitium. Habent viri Sancti, quia Sancti sunt, ut fallere nolint; sed habent, quia homines sunt, ut falli ab hominibus possint. Nec quia emunctiorem in Gregorio narem desideravit Canus, fidem illi negavit omnem. Quod enim delusus aliquando fuerit, casu factum est; quod vera sæpius dixerit, voluntee.

Baronium ipsum ea in re judicem volo, ac etiam appello. Is certe Trajani Imperatoris ex inferis liberationem Divi Gregorii precibus impetratam, tamen a Sancto Joanne Damasceno in Oratione de Fidelibus Defunctis magna pompa explicatam, narratamque, ad fabulas amandat totum Episcopum olemes, in Annalibus ad annum 604. num. 60. Sed quid tum, ne Damasceni sanctitati, ac doctrinæ injurius habeatur, cujus historiam narrationem exfuffat? Audi historici eminentissimi promptam liberamque excusationem. *Primum quidem, inquit, ab omni impostura suspitione virum sanctissimum immunem reddimus, nihilque ab ipso commentitium esse factum vel excogitatum constanter asserimus: sed quod ipse vero factum accepit, ac credidit, hoc ipsum, quomodo audivit, scriptis suis bona fide mandavit. At in iis, que ad verum gestarum veritatem spectant, quam frequenter accidat falli etiam prudentissimos, non in antiquis tantummodo, sed & in iis que dicuntur in eodem loco, quo ipsi sunt, & quo vivunt tempore, cum usus doceat, pluribus demonstrare supervacuum esse putamus. Ob idque nihil est, ut quantavis fidei sanctitatis, sive Doctrinæ cujuslibet prerogativa Viri, quod non factum sit unquam, ut factum asserentis, ipsi veritati præjudicium possit inferre; cum in his que sunt facti, non dogmatis, poterit quisque sanctissimus, atque doctissimus, fideique orthodoxæ professor, atque defensor aliquando falli. Recte id quidem, prudenterque Annalium parens. At quid aliud sibi voluit Canus noster, ubi pauculas illas ex Divi Gregorii Dialogis fabulas rejecit, ex alienorum fide, & narratione recitatas? Mirum in Melchior Canone damnasse Baronium, quod is pari fiducia, ac majori etiam libertate usurpavit.*

### CAPUT III.

*Alteri Criminatio refellitur, de eodem Gregorio lesa in Epistola 31.*

**L**egimus apud Gregorium Magnum libr. 6. epist. indicatione 15. epist. 31. In historia autem Sozomeni, de quodam Eudoxio, qui Constantinopolitane Ecclesie Episcopatum arripuisse dicitur, aliqua narratur. Sed ipsam quoque historiam Sedes Apostolica suscipere recusat, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopsuestium nimium laudat, atque usque ad diem obitus sui magnum Doctorem Ec-

clesiæ fuisse perhibet. Quem Gregorii locum ad trutinam revocans Melchior Canus lib. 11. de locis cap. 6. nihil tale apud Sozomenum de Theodoro Mopsuesteno legi notat, bene vero apud Theodoretum lib. 5. Historiæ cap. 27. ubi Theodorum istum præclarum Doctorem fuisse scribit. & cap. 40. ubi sic habet: *Moritur Theodorus Episcopus Mopsuestias, cum omnium Ecclesiarum Doctor, tum hereticæ cohortis profligator.*

Quare nodum ut solvat Vir eruditus, ita pronunciat: *Non video, quemadmodum responderi possit, nisi dicamus, aut Gregorium alios libros Sozomeni legisse, qui in manus nostras non venerunt; Aut memoria lapsus, pro Theodoro Sozomenum scripsisse. Quid aptius, rectiusque excogitari potuit; cum alias certo certius sit, que de Theodoro Mopsuesteno a Gregorio recitantur, non apud Sozomenum, sed apud Theodoretum hodie reperiri? Et hoc tamen Cani responsum fugillat Baronius in Annotationibus ad diem 23. Novembris. Quodque mirandum magis, priorem responsionis partem dissimulans, quasi de intercessis Sozomeni Codicibus nihil Canus observasset; imo primam illam responsionis partem, uti solvendæ difficultati opportunam arripens, ita de Cani judicio pronunciat: *Gregorius Sozomeni locum citat de Laude Theodori Mopsuesteni Episcopi. Quem quidem cum Canus apud Sozomenum non reperiri contendat, quasi oscitantem Gregorium redarguens, locum illum dicit esse Theodoretum lib. 5. cap. 39. sed non animadvertit, nos non habere integram Historiam Sozomeni, ac complures ejus libros excidisse.**

Leſtorum fidem appello, an non id quoque, ac primo etiam loco animadvertit Canus? *Aut Gregorius, inquit ille, alios libros Sozomeni legit, qui in manus nostras non venerunt: aut &c.* Illius quippe, ut vidimus, bimembre responsum est: hancque primam, de intercessis Sozomeni Codicibus, solvendi nodi intricatissimi viam aperuit, quam unam occurrere Baronius existimavit. Quare si quid in ea probabilitatis est, totum id Melchiori Canone, qui eam primus omnium aperuit, acceptum referre debuit, non oscitantia, quasi minus adverterit redarguere.

Sed & in hoc multo magis falsus est Baronius, quod ita solutioni huic standam velit, ut alteram ab eodem Canone subjunctam despiciatur; viroque erudito succenseat, quod Gregorium Magnum memoriam forte lapsus dixerit, ut Sozomenum pro Theodoro nominaret. Quandoquidem longe certius est, Sozomenum pro Theodoro ex memoriæ lapsu a Gregorio scriptum esse, quam aliquos Sozomeni libros, quod constanter Baronius asserit, excidisse.

Et quidem Henricus Valesius in suis ad Socratem, & Sozomenum, quos latine reddidit, observationibus, hanc Baronii responsionem improbat, ut alteram ex Canone petitam ineat. *Hec, inquit, Baronii responsio, licet Mireo, & Voffio, aliisque placuerit, mihi tamen haudquaquam satisfacit. Quis enim credat Gregorii Magni ætate integros fuisse Sozomeni Codices, quam nunc sint? Nam Cassiodori ætate, qui Gregorium Magnum antecessit, nihil auctiores erant Sozomeni Codices iis, quos nunc habemus: Idque ex Historia tripartita ejusdem Cassiodori facile est cognoscere.*

Decretorium profecto est contra Baronium Valesii argumentum, quod ex Tripartita Cassiodori Historia repetit. Cum enim is e tribus Græcis Auctoribus Theodoro, Socrate, ac Sozomeno per Epiphanium Scholasticum latine redditis historiam sacram compendio redegerit, non ultra historiam ex Sozomeno desoratam producit, quam ubi hodierni Sozomeni Codices desinant. Adeo verum est,

est, Cassiodori ætate, atque adeo multo magis Gregorii Magni temporibus Sozomeni codices nihilo auctiores fuisse iis, quos nunc habemus. Falsum itaque, libros aliquos posteriores ejus historiæ excidisse, et quibus illa de Theodoro Mopsuesteno, lacinia a Gregorio Magno peti potuerit. *Hec igitur, inquit Cassiodorus in Præfatione, Historia Ecclesiastica, que cunctis Christianis valde necessaria comprobatur, a tribus Græcis Auctoribus mirabiliter constat esse descripta; Uno scilicet Theodoro venerabili Episcopo, & duobus discretissimis viris, Sozomeno, & Socrate; quos nos per Epiphanium Scholasticum latino condentes eloquio, necessarium duximus eorum dicta deservata in unum styli tractum, Domino juvante, perducere, & de tribus auctoribus unam facere dictionem.*

Is adde, Sozomenum, si pauca e suo penu interjecta excipias, nil nisi Socratem exscripsisse in historia concinnanda. Res legenti, & utrumque historicum conferenti perspicua est. At Socrates historicam ad ea duntaxat tempora perduxit, quo eam hodierni Sozomeni Codices referunt. Non ergo arbitrio fingendum est, posteriores ejusdem historiæ extitisse libros, quos & Gregorius legit, & injuria temporum nobis abstulerit.

Sed rem totam plane conficit, & Baronio prorsus occudit os Sozomeni præfatio ad Theodosium Imperatorem, cui suam nuncupavit historiam. Novem duntaxat hujus historiæ libros se scripturum adpromittit. *Is novem libros commode distribui posse judicari.* Totidem porro referunt hodierni Codices, a quibus contravertita lacinia procul abest. Quo itaque jure plures hujus historiæ libros fingere liceat, qui a Gregorii ætate nobis exciderint?

Satis igitur est, hodiernos Sozomeni codices integros fateri; & Gregorium Magnum memoria lapsus Sozomenum pro Theodoro nominasse. Nam & ea levis oscitantia est, quam viri vel maximi pati possunt, cujus & exempla non pauca Baronius ipse nobis subministrat in Annalibus ad annum 604. atque istud maxime Divi Gregorii Nazianzeni, Theologi anononastice dicti, Sanctitate, atque Doctrina celebrissimi, qui in ea oratione, quam de Sancto Cypriano ad populum habuit, manifesto lapsus errore cognoscitur, cum duos in unum Cyprianos constat, Antiochenum, atque Carthagenensem, quos constat fuisse diversos, inter seque distinctos. Aliunde vero in Theodoretum, ut Canus notat, optime cadunt quæcumque hoc ipso, quem expendimus, loco refert Gregorius Pontifex. Theodoretus enim lib. 5. cap. 27. 40. Theodorum Mopsuestenum commendat, ceu præclarum Doctorem, & hereticæ factionis debellatorem: atque ob id ipsum a Quinta Synodo Generali damnatus est, actione quinta, can. 13. & 14.

Melchioris Cani judicium probat Christianus Lupus in Notis ad Collat. 5. Synodi Quintæ; Gregorius, inquit, lapsus est memoria, dicens, *Hereticæ Sozomeni Historiam fuisse laudibus Theodori.*

Cardinalis Henricus de Noris in Dissertatione Historica de Quinta Synodo cap. 11. in Cani sententiam propendet magis. *Sententia Cani est probabilior: eumque idcirco acerrimi iudicii virum vocat; & Baronii in illum censuram minus probat.*

In eandem Cani sententiam concedit, & Henricus Valesius in illius confirmationem prolata momenta mutuatur, ac probat Natalis Alexander in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ quinti sæculi cap. 4. art. 18. *Aut dicendum est, Gregorium Magnum memorie vitio lapsus fuisse, qui id, quod a Theo-*

*doro dictum est, Sozomeno tribuerit, qua in sententia fuit noster Melchior Canus lib. 11. Insuper Theologorum: Aut certe cum Baronio, in Annotationibus ad Martyrologium Romanum, dicendum est, maximam partem libri noni Hermie Sozomeni hodie desiderari: Historiam scilicet annorum circiter decem & octo, a Consulatu Agricola, & Eustachii usque ad Consulatum decimum septimum Theodori Augusti; & in iis capitibus, que bonium incuria perire, Sozomenum id scripsisse de Theodoro Mopsuesteno, que a S. Gregorio Magno referuntur. Verum hanc Baronii responsionem Valesius non probat, quia Gregorii Magni ætate integros non erant Sozomeni Codices, quam nunc sint. Nam Cassiodori ætate, qui S. Gregorium antecessit, nihil auctiores erant iis, quos nunc habemus. Quod ex historia tripartita ejusdem Cassiodori perspicuum est.*

At iis omnibus præstat Justinianus Imperator in edicto contra tria capitula, ubi postquam Theodori lapsus recitavit, ita subdit: *Pro iis testimonium præbent Sozomenus, & Hefebius, & Socrates, & Theodoretus, qui multas pro Theodoro laudes fecit. Theodoro itaque speciale fuit, ut Theodorum laudibus commendaret, non Sozomeno. Quod quidem argumentum pro Melchior Canone adversus Baronium videtur invictum.*

Verum opponit Baronius: Spondet Sozomenus in præfatione ad Theodosium, se perducturum historiam suam usque ad 17. Consulatum ipsum, nempe ab anno 324. usque ad annum 439. Hodierni vero Codices desinant in Consulatu Agricola, & Eustachii. Terminantur enim necesse, sed potius placida morte Constantinii Imperatoris Collegæ Honorii, qui sub Agricola, & Eustachio Consulibus extinctus est anno 421. Desunt ergo anni circiter 18. ab eo Consulatu ad 17. Theodosii Consulatum effluxere. Quibus præsertim temporibus, oborta heresi Nestoriana, que a prædicto Theodoro Mopsuesteno ducit originem, de eodem Theodoro proluxior erat abque dubio narratio.

Ita sane spondet Sozomenus. At qui historiam ad decimum septimum Consulatum Theodosii se perducturam spondet, hanc quoque novem duntaxat libros se complexurum profertur: *Porro hoc opus meum, inquit ille, a tertio Consulatu Crispi & Constantini Cesarum, usque ad septimum decimum Consulatum tuum progreditur. Idque in novem libros commode distribui posse existimavi. Nonum autem librum habemus. Quid ergo? Profecto si quidpiam hujus historiæ interdidit, ubi decem, & octo annorum spatia concludantur, non libri integri, ut Baronius putat, sed capitula forte aliqua intercederunt: que post decimum septimum, quod in hodiernis codicibus ultimum est, legebantur. Quidnam etiam dicamus, Sozomenum alienis forte curis occupatum non stetit promissis? Divinationi enim hic locus est.*

Ut ut est, excitata illa a Baronio difficultas nihil juvat Gregorii Magni causam. Demus quippe historiam decem & octo annorum ex Sozomeni Codicibus interdidisse: eam certe ante Gregorium interdidisse necesse est, cum in Cassiodori Compendio, qui Gregorio ætate superior est, desideretur. Atque adeo nihil ex ea de Theodori laudibus exscribere potuit Sanctissimus Pontifex.

Interea quod ad Canum attinet, is profecto in tuto est. Nemo prudens responsionem ejus improbaverit, in ea utrinque difficultatum obsidione. Alterutrum enim necessario respondendum est: Vel Gregorium alia in Sozomeno legisse, que ad manus nostras non venerit: Vel memoria

ria lapsam, pro Theodoro Sozomenum scripsisse.

## CAPUT IV.

Tertia de laeso Doctore Angelico accusatio depellitur.

**P**ergo ad alteram quorundam reprehensorum criminationem. Res sic se habet. Oraculum Evangelicum Lucae secundo, *Jesus autem proficiebat sapientia, & etate, & gratia apud Deum, & homines* exponens in Catena Aurea Doctor Angelicus, congegit pro more suo variorum Patrum interpretationibus, ita Gregorium Nazianzenum loquentem inducit. *Græcus Nazianzenus dicitur autem secundum humanitatem proficere, non quod ipsa suscipiat augmentum, quæ ab initio fuit perfecta, sed ex eo quod paulatim manifestabatur.* In quæ verba observat Melchior Canus lib. 12. de locis cap. 14. lectionem vitiosam esse, eumque locum immerito tribui Gregorio Nazianzeno, apud quem nihil hujusmodi legere est. *Græcus, inquit ille, quem refert sèptissime Dicitur Thomas in Catena (quamvis hoc loco vitiosa sit lectio, & tribuatur Gregorio Nazianzeno) ait, dicitur secundum humanitatem proficere, &c.*

Canis censuram, qua locum illum Gregorio Nazianzeno falso tribui monet, carpit Jacobus Billius in Annotationibus ad Oratioem 20. S. Gregorii Nazianzeni num. 65. *Vix doctissimus Melchior Canus lib. 12. de locis cap. 14. in hoc fallitur, quod ille, ubi Divi Thomæ Catenam citat, vitiosam lectionem esse ait, falsoque ea verba Nazianzeno nostro tribuit. Vides enim Græcum illum, quomodo Divus Thomas profert, Græcum nostrum esse. Quare periculosum est, negare aliquid in auctore quod proprium esse, nisi totus ille auctor memoria teneatur. Nazianzeno vero locus, quem a Doctore Angelico vere indigitatum Billius opinatur, sic habet ea in Oratione, quæ est de Basilii laudibus: quod ego in Salvatore prospicio, atque etiam, ut opinor, sapientiorum quilibet, quo tempore nobiscum exiit, id quod supra nos, & nostrum erat formatum, hoc quoque hic contigisse animadverto. Proficiebat enim, inquit, ut etate, ita etiam sapientia: non quod hæc in illo incrementum caperent (quid enim in eo, quod a principio perfectum erat, perfectius esse possit?) sed quod hæc paulatim detegerentur, & elucerent. Eodem modo Basilii virtutem eo tempore non incrementum, sed majorem operationem accepisse arbitror, uberiorem nempe materiam suppeditante potestate.*

Billii animadversionem mutuatur Theophilus Raynaudus in diatribis adversus Cyriacos, multaque in Canum probra jacit, atque dicitur. At perperam illi & injuria. Ac primo quidem, quod hic censura notat Melchior Canus, Divum Thomam non tangit, sed ejus dumtaxat operis editorem: Siquidem Doctor Angelicus passim in Catena Aurea Græcum illum expositorem indicat, absque ulla peculiari nomenclatione, vage tantum, atque ex solo nomine patriæ: Qui vero veteres editiones curarunt, vagum illud Græci auctoris nomen speciali quadam nota determinarunt, prout in Græcis Auctoribus reperisse sibi visi sunt, quæ ex Græco auctore Doctor Angelicus recitabat. Ea fiducia freti viti boni, Gregorium Nazianzenum notarunt hoc loco, quasi ex eo petita esset recitata sententia; quia non nihil simile apud eum legere est Oratione 20. de laudibus S. Basilii. Quare non Divum Thomam, sed ejus veteres editores carpit hic Canus noster. Jure porro, an injuria carpat, expendamus.

Certe, quantum capio, jure omnino id agit.

Nam si sententiam ab Angelico Doctore ex græco auctore relatum cum Nazianzeno loco conferamus, non verbis modo, sed & quod notandum magis, sensu differunt. Sententia quippe a Divo Thoma laudata de profectu humanitatis aperte differit, prout complectitur essentialia homini, quatenus homo est: Nazianzeno autem Oratio de accidentibus, etate scilicet, atque sapientia. Non ergo Græci auctoris nomine Nazianzenus designatur. Hincque effectum est, ut Joannes Nicolaï Theologus Parisiensis novissimus, cæterisque omnibus diligentior, & accuratior Catena Angelicæ editor, totam illam Græci expositoris indistinctè laudat pericopam, non Nazianzeno, sed Cyrillo Alexandrino tribuerit, apud quem (videlicet assertione 28. thesauri) legi potest, si minus totidem verbis, at certe sensu, ac potestate.

Ego vero, ut fatear ipse quod sentio, nec Nazianzenum, nec Cyrillum, nec alium ex notis auctoribus hoc loco (aut aliis quibusvis, ubi Græcus simpliciter expositior notatur) legi velim. Sentia quippe, nec forte mihi vana fides, Græcum illum certum auctorem esse, sed Anonymum; qui, ut aliis contigisse notum est, sua dumtaxat scripta fecit ad publicam utilitatem, sed se necesse, ad privatam humilitatem voluit. Et si, quoque pacto se res habeat, stat prudens, nullique animadversioni obnoxia Cani censura.

## CAPUT V.

De oppugnato Divo Hieronymo querela refutatur.

**I**n judicium a nonnullis traducitur Canus, tamquam in Divum Hieronymum nimis injuriosus lib. 11. de locis cap. 5. ubi recolens S. Doctoris sententiam de veterum Patrum traditione, qua Adam in monte Calvarie sepultum esse, *Non debuit, inquit, tanquam videre Hieronymus Adami in loco Calvarie sepulturam: Nec nos, viri licet sanctissimi exempli, historias hujusmodi videre debemus. Id scilicet minus reverenter dictum criminantur nonnulli reprehensores. Age itaque videamus, a quibus, & per quos ad nos usque ea traditio manarit, quæ a Divo Hieronymo ita est; ut hinc judicari merito possit, an irrationem moleste tulerit Canus noster. Certe vix ulla de pia quadam, ac religiosa historia traditio ferri potest, quæ adtulpatoribus & antiquitate, & auctoritate majoribus adnitatur.*

Horum agmen, ut par est, duceret Tertullianus lib. 2. contra Marcionem metricè scripto, si ipse re vera opus esset, ut a multis creditum est. Ita quippe ibi legere est.

*Golgotha locus est, capitis calvaria quoadam,*

*Lingua paterna prior sic illum nomine dixit.*

*Hic medium terre est, hic est victoria signum.*

*Or magnum hic veteres nostri docere reperunt;*

*Hic hominem primum suscepimus esse sepultum;*

*Hic pariter Christi pio sanguine terra madescit.*

*Pulsis Adæ ut possit veteris cum sanguine Christi*

*Commixtus, stillantis aquæ virtute sanari.*

Verum spurium Tertulliani partum rejiciunt quos.

quotquot extant criticæ scientiæ periti; quibus persuasum est, tantum virum tam iratas musas non habuisse.

Quare meliori titulo chorum ducet S. Cyprianus tractatu de Resurrectione Christi: *Nos ad Christum pertinentes, cujus sanguine confersa creditur Adam Calvaria, qui sub loco, quo Crux Domini fixa est, humatus dicitur ab antiquis, ejusdem sanguinis sanctificati clapsu letentur, & delectentur in Domino.*

Sequitur Origenes tractatu 35. in Matthæum. *Venit ad me traditio quadam talis, quod corpus Adæ primi hominis ibi sepultum est, ubi crucifixus est Christus; Ut sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificentur: Ut in illo loco, qui dicitur Calvaria locus, id est locus capitis, caput humani generis resurrectionem inveniat cum populo universo per resurrectionem Domini Salvatoris, qui ibi passus est, & resurrexit.*

Succedit Basilus magnus enarratione in cap. 5. Itaque. *Obtinuit fama quadam in Ecclesia memoriam conservans, non quidem scripto proditam, quæ & talis est. Quod prima utique Judæa hominem habebat incolam, nimirum Adam, simul atque excidit delictis Paradisi, in hac terra collocatum, ad mitigandam jacturam bonorum, quibus fuerat exutus. Prima igitur etiam mortuum hominem excepit, qui & illic eam sententiam condemnationis plane est executus. Itaque insolens esse, ac novum videbatur illius etatis hominum spectaculum, Os capitis defluente carne nudum. At illi recedentes cranium, loco illi indiditæ necesse, id est, Calvariam. Probabili ratione potuit Noe non ignorasse sepulchrum principis hujus, & mortalium omnium primigenii. Siquidem hac de re fama a diluvio mox per orbem propagata est ab ipso, & dimanavit. Eoque Dominus excussa origine humane mortis, in loco, qui dicitur, id est Calvaria, passus est: Ut quo in loco corruptio, sive mors hominum initium accepit, illic vita regni suum sumeret exordium. Et quemadmodum invaluit in Adam, ita & in Christi morte inefficax redderetur, & pessum iret.*

S. Athanasius, aut quilibet alius auctor pervertit Homiliæ de Passione, seu de Cruce Domini, apud eundem. *Ubi corruptum est genus humanum, ibi Christus proprium corpus exposuit: Ut ubi seminata est corruptio, ibidem incorruptio oriatur: Propter quod in loco Calvarie crucifigitur: Dicit enim, Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvaria, ibi crucifixerunt eum: Quem locum Doctores Judæorum ajunt esse sepulchrum Adæ.*

Chrysothomus homilia 84. in Joannem. *Et exivit in eum, qui dicitur Calvaria locus. Ubi quidem dicunt, Adæ & mortuum, & sepultum esse: Et Jesum, ubi mors dominata est, ibidem tropæum evertisse, hoc est crucem, quam tulit contra mortis tyrannidem.*

Ambrosius lib. 4. in Lucam: *Ipsæ autem Crucis locus vel in medio, ut conspicuus omnibus: vel supra Adæ, ut Hebræi disputant, sepulchrum. Conguebat quippe, ut ibi vite nostræ primitiæ locarentur, ubi fuerunt mortis exordia.*

Theophylactus in caput 27. Matthæi: *Calvaria Crani locus dicitur est, eo quod dicunt quod traditiones Patrum tenent, quod Adam illic sepultus sit.*

Idem in cap. 19. Joannis: *Porro Calvarie locum dicebant, sicut narratio prodit, quod illic sepultus sit Adam; ut ubi principium mortis, illic & casus ejus fieret. Traditio enim Ecclesiastica est; quia prior Judæa, postquam ejectus fuit homo de Paradiso, domicilium ibi habuit, in solatium bonorum, quæ in Paradiso perdidit, data est ei terra illa, quæ omnium altorum optima esset, & pinguis. Properea & prima omnium suscepit hominem. Homines*

Serry Tom. VI.

igitur, qui tunc erant, habuerunt pro miraculo mortui Calvariam depelantam; in illo loco habitantes, inde eum nominaverunt, & post diluvium fama hæc in omnes divulgata est.

S. Epiphanius lib. 1. adversus Hæreses tom. 3. verius finem: *Est profectio, quod intelligenti mirum videatur id quod e librorum monumentis deducimus: Dominum nostrum Jesum Christum in Golgotha esse crucifixum, nimirum in eo potissimum loco, in quo Adami corpus jaceret. Hic enim e Paradiso digrediens diu ex adverso illius habitavit. Deinde longo postea tempore in illum, quem dixi Hierosolymorum locum secessit, ubi & vita sanctus, in Golgotha sepultus est. Quæ ex re merito locus ipse nomen accepit, ut Calvarie interpretando diceretur. Tum quorundam opinionationem confutat, qui locum illum Calvariam dictum ajunt, quod in Calvarie similitudinem aptatus sit: ac demum subdit: Unde igitur Calvarie nomen obtinuit? quod nimirum primi hominis illic calvaria reperta sit, ejusque reliquie desesse; ob id Calvaria locus appellatus est: In quo Dominus noster Jesus Christus sublatus in cruce, per aquam illam, & sanguinem, ex ejus perforato latere profluentem, veluti imagine quadam, totum salutis nostræ negotium adumbravit: Dum primi hominis reliquias ab ipso masse principio rigare cepit, ut ad detergendam labem, sceleratamque nostram, ac pœnitentis anime purgationem, sui sanguinis asperisionem ostenderet.*

Paula, & Eulochium, doctæ Virgines, in epistola ad Marcellam, inter Hieronymianas 17. *In hac urbe (Hierosolyma) imo in hoc toto loco & habitasse dicitur, & mortuus esse Adam. Unde & locus, in quo crucifixus est Dominus noster, Calvaria appellatur, scilicet quod ibi sit antiqui hominis calvaria condita. Ut secundi Adami, id est Christi, sanguis in cruce stillans, primi Adami, & jacens protoplasti peccata dilueret, & tunc sermo ille Apostoli compeleretur, Excitare qui dormis, & resurge a mortuis, & illuminabit te Christus.*

Eos inter antiquæ traditionis suffragatores, ac testes annumeratur ab aliquibus August. sermone 71. de tempore, ubi ita legitur: *Hic antiquorum relatione refertur, quod & Adam primus homo in ipso loco, ubi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus. Et ideo Calvarie locum dictum esse, quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et vere, fratres, non incongrue creditur, quod ibi erectus sit medicus, ubi jacebat egrotus. & dignum erat, ut ubi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret Divina misericordia; & sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulverem antiqui peccatoris, dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur. Verum sermo ille in novissima Benedictinorum editione velut apocryphus in appendicem rejectus est. Imo quod notandum magis, tota illa de Calvarie loco narratio a manuscriptis codicibus abest.*

Laudat Cardinalis Baronius eundem Augustinum quæst. 161. in Genesim: *At non de Adam, sed de Abramo, cæterisque Patriarchis dumtaxat agit dum inquit: Ubi ergo sepelienda erant cadavera Patriarcharum, nisi in ea terra, ubi ille crucifixus est, cujus sanguine facta est remissio peccatorum? Eundem illum Doctorem sanctissimum lib. 16. de Civitate Dei cap. 32. laudat Maldonatus, sed aberrat: Nihil quippe de ea, quam movemus, quæstione eo loci legere est. Quare frustra inter hujus traditionis testes producitur.*

Iis longe verius certiusque adjungendi veniunt Anastasius Sinaita, Cyrillus Monachus, Nonnus Panopolitanus, S. Germanus, Euthymius, Honorius Augustodunensis, quorum testimonia recentè Malvenda noster, de Paradiso voluptatis cap. 35.

Primus omnium adversus traditionem tot testibus quavis exceptione majoribus assertam calumiam

C c acuit

acuit S. Hieronymus, ac veluti anilem fabellam exfluxit lib. 4. commentariorum in Matthæum, ad cap. 27. quasi a privato quodam, vacuoque cerebello excogitata. *Adiri quemdam*, inquit ille, *exposuisse Calvarie locum, in quo sepultus est Adam, & ideo sic appellatum esse, quia ibi antiqui hominis sit conditum caput; & hoc esse, quod Apostolus dicit: Surge, qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. Favorabilis interpretatio, & mulcens aurem populi, nec tamen vera. Extra urbem enim, & foras portam loca sunt, in quibus truncantur corpora damnatorum; & Calvaria, id est decollatorum, sumpsere nomen. Propterea autem ibi crucifixus est Dominus, ut ubi prius erat arca damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrii: Et quomodo pro nobis maledictum crucis factus est, & flagellatus, & crucifixus, sic pro omnium salute, quasi noxius, inter noxios crucifigeretur. Sin autem quispiam contendere voluerit, ideo ibi Dominum crucifixum, ut sanguis ipsius super Ade tumulum distillaret; interrogemus eum, quare & alii latrones in eodem loco crucifixi sint? Ex quo apparet, Calvariam non sepulchrum primi hominis, sed locum significare decollatorum; ut ubi abundavit peccatum, superabundaret gratia. Adam vero sepulchrum juxta Hebron, & Arbee, in Jesu filii Nave volumine legitur, Josue 14. Quibus similia habet lib. 3. commentariorum in Epist. ad Ephesios ad caput 3.*

Hieronymum fecutus est Isidorus lib. 15. originum cap. 1. Hebron civitas Judæ: Ipsa est Harbe, a numero ita vocata, quod ibi tres Patriarche sepulti sint, & quartus Adam.

Subscripsit Venerabilis Beda in caput 27. Matthæi: Golgotha namque, inquit ille, Syrum nomen est, & interpretatum Calvaria. Est autem ipse locus in Helia, tunc extra urbem ad septentrionalem plagam montis Sion, & Calvarie, non ob calvitium primi hominis, quem ibi quidam errantes sepulchrum frustra suspicantur: sed ob decollationem eorum, atque damnatorum dicitur. Et propterea ibi crucifixus est Dominus, ut ubi prius arca damnatorum erat, erigerentur vexilla martyrii. Lege eundem in cap. 23. Lucæ.

Adtipulatur Paschasius Rathbertus lib. 12. in Evang. Matthæi, & Doctor Angelicus 3. p. quæst. 47. art. 10. ad 3. ubi Divi Hieronymi verba describit, eorumque rationem istam profert, quia magis Jesus crucifigendus erat in loco communi damnatorum, quam juxta sepulchrum Ade; ut ostenderetur, quod crux Christi non solum erat in remedium contra peccatum personale ipsius Ade, sed etiam contra peccatum totius mundi.

Porro nemo erit, opinor, qui si rem paulo penitus introspeciat, traditionem ab Hieronymo irritam, testibus longe pluribus, iisque gravioribus confirmatam non agnoscat. Atque ita Canum nostrum ex historia legibus egisse, dum pro defendendis tot reliquis Patribus, a me paulo ante laudatis, ab Hieronymo in re præsertim ad fidem minime spectante, quæque facti duntaxat est, discessit. Quin imo nil dubitandum, Cypriani, Origenis, Basilii, Athanasii, Chrysostomi, Ambrosii, Epiphaniæ testimonia Hieronymum latuisse; quibus, si probatam de Adami calvaria traditionem novisset, non ita libenter irrisisset, tanquam ab obscuro nominis homunculo excogitamam.

Melchioris Cani de contraria Hieronymi opinione iudicium probat annuum patens ad annum 34. dicit, inquit ille, *tanti Patris in primis rogata venia, bis nequaquam adduci possumus, ut quod non ab uno, vel alio, sed ab omnibus fere antiquis Patribus, nec ut quidpiam recens excogitatum, sed a majoribus traditum, & scriptum est, tam facile contemneremus, cum præsertim ea, que ad hæc impugnanæ inducunt non videantur esse hujusmodi,*

que nos ab illis penitus dissentire compellant. Quod idem habent Pamelius in notis ad sermonem S. Cypriani de resurrectione, Perrierus lib. 7. in Genesim, Toletus in cap. 19. Joannis annotat. 12. Bellarminus lib. 3. de statu peccati cap. 12. Fevardentius in notis cap. 34. lib. 2. S. Irenæi; & alii non pauci.

Et vero duo duntaxat in oppositum adducit Hieronymus. Primum, quod Calvarie locus non a primi Parentis cranio, seu calvaria nomen traxerit, sed a capitibus decollatorum; quia illic truncabantur capita damnatorum: secundum quod Josue 14. Adam sepultus dicitur in Cariatharbe, versu 15. nomen Hebron ante vocabatur, Cariatharbe; Adam maximus ibi inter Enacim situs est. Utrumque vero elumbe est. Ac primum quidem nihil conficit. Etto quippe a capitibus truncatorum Calvarie locus appellatus esset; quid tamen vetat, ne & locus ille, ubi primus homo sepultus asseritur, postmodum sit electus ad supplicia damnatorum; quod in edito situs esset, & Hierosolymis proximus? Nos locum publicum damnatorum fuisse non ambigimus: fuerunt enim ibi cum Christo & alii crucifixi latrones: sed unde Calvarie nomen obtinerit, certo nescimus. Nam quod de truncatis ibi eorum capitibus dicitur, vix credi potest: cum ejusmodi supplicium apud Hæbreos nec lege sancitum esset, nec consuetudine comprobatum. Unicum enim ante Christi passionem Joannis Baptistæ capite minuti exemplum occurrit apud Hæbreos; cætera inde secuta, quæ vel in Scripturis, vel in antiquæ memoriæ instrumentis occurrit, a Romanis tunc imperitantibus, apud quos hæc supplicia in usu erant, ad Judæos sibi subditos derivata sunt. Quare nihil ex ea nuncupatione certo colligi potest. Quin & Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 13. locum hunc, nec ex Adami cranio, nec ex capitibus damnatorum, sed a Christo capite nostro ibidem aliquando passuro Calvariam Prophetice nuncupatum affirmat. *Reddi usuram illi, qui propter te hoc sacro Golgotha crucifixus est, Golgotha vero interpretatur Calvarie locus. Aliqui ergo prophetice locum hunc Golgotham appellaverunt, in quo verum caput Christus crucem sustinuit.*

Secundum ex Josue 14. petitum argumentum eruditissime a Cano nostro confutatum est; cui hac in parte consentiunt Critici sacri Baronius, Maldonatus, Serrarius, Ehtius, & alii pene omnes adversus Hieronymi opinionem. Minus etiam iis interpretibus probatur, quod Sanctus Doctor in epistola ad Eustochium de Paulæ epitaphio scripserat: *Hæc est Cariatharbe, id est oppidum vivorum quatuor, Abram, Isaac, Jacob, & Adam magni, quem ibi conditum, juxta librum Jesu Nave Hæbræi auverunt. Licet plerique Caleb, quartum putent, cujus ex latere memoria monstratur. Observant scilicet laudati Bibliorum interpretes, Cariatharbe significare potius civitatem Arbee, la Città di Arbee, quæ & magnitudine, & robore celebris erat, necnon Enaci Pater; unde & Enacitæ dicitur gigantes illi prægrandes, quorum comparatione Israelitæ quasi locustæ videbantur, Numerorum cap. 13. vers. 34. Is enim civitati nomen dederat: ibique demum sepultus est, quod Scriptura iis verbis significat: *Adam maximus ibi inter Enacim situs est, Josue 14. versu 15. Quasi diceret, homo maximus inter gigantes Enacitas ibi sepultus est. Adam enim quandoque commune nomen est, hominem quemcumque significans.**

Merito itaque Canus noster veterum traditionem ab Hieronymo irridere moleste tulit, cui leves duntaxat rationes Sanctus Doctor opposuit, & ab omnibus pene Interpretibus impugnatæ.

Ratio vero Doctoris Angelici in contrarium excogitata quidem est, & ingeniosa, posita facti veritate, sed factum non evincit: cum & rerum contingentium, quæque meri facti sunt, nulla dari ratio possit. Aut certe si quid hæc mystica ratio valet, ea certe quadrabit longe felicius in hypothesi traditionis a Divo Hieronymo rejectæ. Si enim crucifixus est Christus eo in loco, ubi & sepultus est Adam, & rei communiter plectebantur; hinc colligere erit, Christum & in remedium contra peccatum personale ipsius Ade, & contra peccatum totius mundi mortem sustinuisse.

excogitata quidem est, & ingeniosa, posita facti veritate, sed factum non evincit: cum & rerum contingentium, quæque meri facti sunt, nulla dari ratio possit. Aut certe si quid hæc mystica ratio valet, ea certe quadrabit longe felicius in hypothesi traditionis a Divo Hieronymo rejectæ. Si enim crucifixus est Christus eo in loco, ubi & sepultus est Adam, & rei communiter plectebantur; hinc colligere erit, Christum & in remedium contra peccatum personale ipsius Ade, & contra peccatum totius mundi mortem sustinuisse.

## CAPUT VI.

De actis sextæ Synodi œcumenicæ œcitanter lectis, ac temere usurpatis quærimonia diluuntur.

Possevinus in apparatu sacro Canum male habet, quod ex aliis minus fidis Scripturibus nonnulla narravit. *In qua tanta segete rerum, inquit, & historiarum, si quid irrepsit ex aliis minus fidis Scripturibus, id jam ab aliis est indicatum. Exemplum porro minus fidorum Scriptorum, quorum narrationibus prius æquo tribuerit Canus mox subjicit: *Sane, inquit, Auctor Summæ Conciliorum contra fidem epistolarum Agathonis Pontificis maximi scripsit (cujus tamen rei mentio nulla fit) scriptam fuisse epistolam illam ad Concilium sextum; cum ad Imperatorem utraque fuerit scripta. Extant vero ille secundum Conciliorum tomum. Cæterum corrigendi quinque auctores tum Greci, tum Latini, qui Honorio Pontifici maximo notam inveterate hæreses allicijus ausi sunt, ex Synodi actionibus a Theodoro depravatis. Hæc ille. Ad marginem vero librum 4. indigitat de locis communibus cap. 3. quasi ibi Canus noiter hac in parte lapsus sit; cum nihil ea de re eo loci habeat, sed verius lib. 6. capit. ultimo, in responsione ad ultimum argumentum.**

Baronius non abfinititer in Annalibus ad annum 681. num. 37. hac ipsa de causa eidem insultat: *Quem, inquit, voluissim sensibus potius Canum, quam nomine. Hoc idem in Cano carpit Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 11. Verum quo titulo, perpendamus.*

Ita igitur Canus noster libro sexto, cap. ultimo, in responsione ad ultimum argumentum: *Sententiam in Honorio latam ex Romani Pontificis consensu fuisse, exploratum est, in sexta Synodo generali, actione quarta, ubi Agatho in epistola ad Concilium, Honorium ipsum anathematizat. Utrumque illud, si Possentino, Baronio, Bellarmino credimus, falsum est. Nam & epistola, inquit illi, ad Imperatorem directa est, & nulla in ea legitur Honorii mentio, sed aliorum tantummodo, quorum auctores, Agathonis verba sunt, exiterunt Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus Constantinopolitanus, vel quibus ei consentaneis usque in finem demonstrati sunt.*

Sed est venialis esse posset Cani culpa, si quid forte hac in re ab illo aberratum esset; quia, ut ipsi fatentur reprehenses, Auctor Summæ Conciliorum, quæ illius ætate circumferebatur, contra fidem epistolarum Agathonis, Honorii nomen addiderat, nihil tamen ab ipso erratum evinco. Nam & epistola illa ad Concilium quodam sensu scripta dici poterat, etiam ad Imperatorem directa esset: quia nihil aliud erat, quam Legatorum, quos ad Synodum Agatho dirigebat, instructio doctrinalis. Unde & illam actione quarta in Synodo sægi necesse fuit, & in octava confirmari: & ad illam rescripto responderunt Synodi Patres. Quare ad Imperatorem pro Synodi Patribus scripta erat.

Serry Tom. VI.

Honorium etiam ferit, & anathematizat ea in epistola Agatho Pontifex, sin minus distincto nomine, at saltem generali sententia, ob doctrinæ scilicet communionem. Unde & ait, *vel quibus ei consentaneis usque in finem demonstrati sunt.* Quos inter profecto fuit Honorius. Nec vana illa conjectatio est, sed ipsius sextæ Synodi auctoritate confirmata, in epistola Synodica ad Agathoneum Romanum Pontificem, ubi Honorium cum cæteris Monothelitis anathematizare se profitentur Episcopi, ob sententiam jam in ipsos ab ipsomet Agathone in datis epistolis pronunciatam. *Anathematibus interficimus ex sententia per sacras vestras literas de iis prius lata, Theodorum Episcopum Pharam, Sergius, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum, & Petrum.* Quæ res argumento est, vel Honorium distincto nomine cum cæteris anathemate percussum fuisse, in ea Agathonis epistola; quod subinde nescio quo pietatis officio a quopiam expunctum sit: vel quod certius longe est, Honorium ex communi sententia, generali cum cæteris damnatione peritum fuisse.

Id etiam ex actione 13. ejusdem sextæ Synodi comperitur est: Ubi cum sententiam in Sergium, Cyrum, Pyrrum, Paulum, Petrum, & Theodorum ab Agathone ea in epistola latam memorassent Synodi Patres, suoque calculo comprobassent, Honorium consequenter eodem telo peritum colligunt. *Cum iis vero, inquit, simul projecti a Sancta Dei Catholica Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuerat Episcopus antiquæ Romæ, eo quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentibus secutus est, & impia dogmata confirmavit.*

Adtipulatur Adrianus Secundus Romanus Pontifex in epistola lecta, & approbata in octava Synodo: Ubi postquam Honorium a sexta Synodo damnatum memoravit, ob injectam hæreses accusationem, subjungit: *quævis nec ibi, nec Patriarcharum, nec cæterorum Assistentium cuiquam de cofas fuerit profertendi sententiam, nisi ejusdem primæ sedis Pontificis consensus præcessisset auctoritas.* Quibus verbis significat, Honorium ab Agathone primam sedem obtinente fuisse prædamnatum.

Cæterum, an Honorius, uti privata persona, re ipsa de fide duplicis in Christo voluntatis male senserit; atque idcirco Hæreticus fuerit, quod Canus existimat: an œconomia, & conniventia in Monothelitas duntaxat peccaverit, atque idcirco uti fautor erroris anathemate peritus sit, quod alii plerique sentiunt, opinionis est, Bellarmino teste libro 4. de Romano Pontifice cap. 11. in responsione ad 4. nullaque idcirco iis in virum eruditum movenda est.

Quod vero suffragium quærent laudati confesores, Baronius scilicet, Bellarminus, & Possentino, ut Honorium quacumque vel asserti erroris, vel favoris errantibus impensu labe liberent, vitata scilicet esse sextæ Synodi acta a Theodoro viro hæretico; pie quidem excogitatum est, at non ita certo. Quamquam hic instituti nostri non est, illud expendere. Hoc dicam unum: si sextæ Synodi acta, ubi inter Monothelitas notatur Honorius aliquo nebulone, qui venerandum Pontificis nomen intulerit, vitata sunt; vitata quoque dicenda sunt acta Synodi septimæ, & octavæ; ubi ejusdem Honorii nomen cæteris Monothelitis annumeratur; vitata quoque epistola Leonis Secundi ad Constantinum Imperatorem, quæ sextæ Synodi acta confirmavit. Nam & illic perinde Honorius anathemate peritur. Sed ab invidiosa, nostroque instituto inutili quæstione temperandum.

## CAPUT VII.

*Canis sententia de Sacramenti Matrimonii ministro ab emulorum censuris eximitur.*

**D**upliciter non paucis Melchioris Cani sententia de Sacramenti Matrimonii ministro, quem usque adeo presbyterum esse docet lib. 8. de locis cap. 5. ut matrimonium stare quidem velit ratum, ac firmum titulo contractus, non tamen titulo sacramenti, dum a Ministro ecclesiastico sacris, ac solemnius verbis minime celebratur. Similiter & verba, quibus consensum mutuum conjugum exprimitur, formam esse vult contractus conjugalis, non itidem sacramenti; personamque contrahentes ministros esse fatetur contractus civilis, non sacramenti conjugii.

Hanc opinionem uti novam & singularem fugillat Bellarminus lib. 1. de matrimonio cap. 6. & sequentibus; quia etiam addit, Canum, dum totis viribus probare conatur Matrimonium sine forma verborum a ministro ecclesiastico prolata celebratum non esse Sacramentum, illud etiam evincere, quantum in se est, nullum re vera esse in Ecclesia matrimonii sacramentum. Non defert & alii, qui suis præjudiciis occupati in eandem eruditi viri sententiam liberius obloquantur, varisque pro arbitrio censuris afficiant.

Non est hic instituti nostri Theologicae questionis integritas texere, dum observationes duntaxat apologeticis damus. Nec idcirco officii ratio postulat, ut, quæ pro tuenda illa Cani sententia ferri possunt, summo studio congeramus. Id nobis ad præfens satis est, si hanc eruditi viri doctrinam nec singularem, nec novam probemus; & cum novatorum errore, qui matrimonii sacramentum ab Ecclesia pellunt, nihil habere commune demonstremus.

Novam esse profecto non dicit, quisquis eam a Guillelmo Parisensi traditam noverit, libr. de sacramentis, tractatu de Matrimonio cap. 9. quæst. 1. & cap. 1. de Baptismo: a Petro Paludano in 4. sentent. dist. 5. quæst. 2. a Simone Vigorio Theologo Parisensi, in suffragio Tridenti dato, cujus meminit Cardinalis Pallavicinus lib. 22. historiarum cap. 9. num. 5. Adde etiam a Divo Thoma (est illud suas in partes vel invitum ceteri trahant) in 4. sentent. dist. 1. quæst. 2. art. 3. ad 5., ubi inquit: *Matrimonium secundum quod est in officium, & poenitentia secundum quod est virtus, non habent aliquam formam verborum; sed secundum quod utrumque est sacramentum, in dispensatione ministrorum Ecclesie consistens, utrumque habet aliqua verba, sicut in matrimonio sunt verba exprimentia consensum, & iterum benedictiones ab Ecclesia institute; In poenitentia autem est absolutio Sacerdotis, verbo tenus facta. Ac tandem a Synodi Colonienfis anno 1536. celebratæ Patribus, in Enchiridio Christianæ institutionis: Videmus, inquit, & in veteri lege quosdam fuisse, qui Dei vice conjuges jungerent. Quanto ergo magis putandum est, in nova lege Sacerdotes, qui legationes pro Deo fungantur, legitimos hujus Sacramenti ministros esse? In lege quidem veteri Pater, aut, defuncto patre, proximus puelle agnatus, seu tutor Dei loco conjuges jungebat. . . . ad eundem modum ab Apostolorum temporibus, matrimonii sacramentum in facie Ecclesie celebrandum est, ministris sacerdotibus Christi.*

Quæ omnia, ut a reliquis temperem, nec novam, nec singularem in Melchioris Cano doctrinam illam fuisse, plus satis ostendunt. Sed & qui patronos præeuntes habuit, sequaces, eosque magnum nominis adscriptores invenit: Dominicum Bannes in prima parte Divi Thomæ quæst. 1. ar.

8. ubi contrariam magistro suo Melchiori Cano sententiam a multis improbari ait, illiusque opinionem a multis jam absque ulla reverentia defendi: Franciscum Cardinalem Toletum lib. 7. Instit. 2. discrete statuentem, effectivam causam matrimonii esse se ipsos contrahentes; in quantum est contractus quidam; at vero, ut sacramentum, Deum esse causam principalem, & ministrum esse causam instrumentalem sicut in aliis sacramentis: Guillelmum Estium in 4. Sentent. dist. 26. §. 10. & sequentibus: Franciscum Sylvium in supplemento, quæst. 42. art. 1. quæstio 1. Joannem Mariam Scribonium disput. 9. de matrimonio: Vincentium Contensonium lib. 11. Theologiæ mentis, & cordis parte 4. distinct. 4. cap. 1. de Sacramento Matrimonii: Conbessium ad orationem Damasceni in Constantinum Caballinum nu. 8. Gasparem Luvenium in Compendio historico dogmatico de Sacramentis dist. 12. de Matrimonio quæst. 3. Claudium Frassevium in Scoto Academico tract. 3. de Matrimonio disput. ultima art. 1. quæst. 3. Natalem Alexandrum in Theologia dogmatica, & morali libr. 2. de sacramento Matrimonii artic. 5. §. 2. Apud quos quidem magnum nominis Theologos, quisquis Melchioris Cani, quam teneat, sententiam fundamenta ex Patribus, atque Conciliis petita legere voluerit, nimiam profecto in ea vellicanda Bellarmini, aliorumque licentiam deprehendet. Sed & Gaspar Luvenius supra laudatus Dissertationem gallicam edidit in hujus Melchioris Cani sententiæ defensionem, ubi permultos hujus ævi, qui eam teneant, scriptores percerat; ut obviam iret obtreclationibus nonnullorum, qui singularitatis infimulabant propositionem, in suo Oratorii Collegio Bifuntino Granvelano, de hac materia, publicis thesibus propugnata. Illud etiam notissimum, sententiam hanc frequentius in Academia Parisiensi defendi, nec ab ea abhorretere Romanos publicum illic conclusionum censores; quibus probantibus Cani sententiam defendi quædam publice, & vidi ipse Romæ dum degerem, & ab aliis, ex quo discessi, non semel accepi.

Tantum vero abest, ut hæc tot virorum eruditorum doctrina Neotericis sacramentum Matrimonii de medio tollentibus faveat, ut potius Ecclesiæ fidem multo feliciter in tuto ponat, dum quæ meræ Theologos inter opinionationis sunt, a fidei summa secernit; ut, illis in doctorum arbitrio relicta, hoc unum, quod religionis est, adversus hæreticos teneatur. Et quidem matrimonium ecclesiastico ritu celebratum sacramentum esse fides docet. Hoc adversus Lutheranos, & Calvinistas summo studio tuendum, propugnandumque est. An autem sacro ritu semoto, nullo sacerdotis accedente ministerio, ex solo conjugum assensu sacramentum olim fuerit: An steterit alias fixum, ratumque, ratione contractus, non servata dignitate sacramenti, ubi sine ministro sacerdote ducebatur: An nunc etiam ministri vices obeant ambo conjuges, non sacerdos: An consensus conjugum acceptus forma sit, an sacerdotis sacra verba: Theologorum sunt opinioniones, quas a fidei capite fecerunt necesse est, ne dum hæc promiscue confundimus, tanto imbecillius Ecclesiæ causam videamur agere, quanto levius meliusque prævate hominum opinionationes defenduntur. Prudentius ergo, ac longe feliciter Ecclesiæ causam Bellarminus egisset, si, Canum imitatus, quæ Fidei sunt, a scholasticis disceptationibus discrevisset; & in hoc unum intentus, quod Fidei caput est, peregrinas questiones, quæ causam multo plus implicant, hæreticisque cavillandi aditum præbent, a polemicis questionibus longius amandasset. Etenim, ut prudenter Ettius observat, statuta Cani sententia, multa vitantur paradoxa

## CAPUT VIII.

*Pia Melchioris Cani sententia De Christi Domini tristitia in Passione, a reprobis moribus vindicatur.*

doxa, quæ contra hæreticos ex traditione tueri difficile est, ut quod hujus sacramenti minister non sit unus, sed duo; non ordinati, sed laici, vir, & mulier: quod idem suscipientes sint, & conferentes; quod forma consistat sine verbis, quod nullam contineat cæremoniam particularem. Quæ omnia ad scholasticos ablegare fatius est, quam, ut fidei dogmata, tueri velle.

Fuit hoc unum Melchioris Cani institutum, dum de matrimonio ministro obiter dixit. Primum, inquit, opinionem a dogmate secerni, & inter nosci volumus; Deinde Theologos admoneri, ne affectu animi, qui perumque brevis est, & ad tempus, sed maturo judicio de rebus hisce pronunciant, in quibus præsertim non ita facile expediri potest, ad fidem pertinere, nec ne. . . id ago, scholasticas opinioniones oportere a decretis sejungere, Fideique questionibus ab his, quæ modo hoc, modo illic transferuntur, & sine pietatis jactura possunt in utramque partem disputari. Decreta arte tenere debemus, accurateque defendere; Opiniones non item; sed si non cum Academiæ, at cum Christianæ modestiæ temperamento. . . . Nego enim scholæ certo, constantique decreto finitum, matrimonium sine Ecclesiæ ministro contractum esse vere, & proprie dictum sacramentum; nego eam rem ad fidem, & religionem pertinere; nego omnes scholæ Theologos id assensisse. Quæ certe Cani doctrina a nullo prudenti, sanoque Theologo damnari potest.

Quod vero ex Cani opinione derivatur incommodum, ut idcirco ab æmulis cauterio digna judicetur? si ita est, inquit illi, matrimonia clandestina, quæ ante Concilium Tridentinum frequentiora erant, sacramenti dignitate caruerunt, cum tamen sacra Synodus de illis ita pronuntiaverit sess. 24. cap. 1. de reformatione: *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta rata, & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit: & proinde jure damnandi sunt illi, & eos Sancta Synodus anatematizat damnat, qui ea vera, & rata esse negant.* Egregie scilicet ac solenter. Age vero demus, illatam consecutionem veram esse, nihil tamen ex Cani sententia contra Tridentinam Synodum sequeretur, quæ matrimonia clandestina rata quidem, ac vera matrimonia fuisse definit, quod & Canus contendit, sed illis dignitatem sacramenti non arrogavit. Quis & illam Tridentinorum Patrum prudentiam fuisse monet Cardinalis Pallavicinus in Historia lib. 23. cap. 9. ut ab illa controversia scholæ consulto absternerent; ne quod liberæ opinionis est, in Fidei dogma converterent; Omisso, inquit ille, nunquam declarasse Concilium, matrimonia clandestina fuisse sacramenta: adeo ut quidam graves Theologi id negent. Quos inter graves Theologos Melchioris Canum dubio procul intelligi vult, qui hanc suam opinionem ab obtreclationibus hodiernis intemptive vellicatam, coram sacro Concilio impune, ne dicam laudabiliter, defendit.

Sed & perfractæ nego consecutionem illam ita generatim elicitam, (matrimonia scilicet clandestina ante Tridentinam Synodum contracta fuisse irrita) ex Cani sententia fluere. Quæ enim ante Concilium vocabantur clandestina matrimonia, nec ita frequentia erant, ut vulgus putat; nec semper absente Presbytero, qui ministerium exhiberet, contrahebantur; sed vel absente Parocho, vel sine solemnitatibus, testibusque ducebantur: Horum enim defectu, clandestina quoque vocari, & esse poterant.

**S**i qua unquam virorum Theologorum censuras passa est Melchioris Cani sententia, ea profecto est, quam de tristitia Christi ad Crucis sacrificium properantis docet lib. 12. de locis, cap. 13. sub finem. Quæstionem a Theologis tritam movet, qui fieri poterit, ut Christus cum beatus re ipsa fuerit, atque idcirco infans ex Dei visione profuente gaudio persusus, summa tristitia sit affectus, ut diceret, *tristis est anima mea usque ad mortem*, Matthæi 26. Dux in primis celebriorum Theologorum difficillimi nodi solutiones offert; quasque secum difficultates involvant, pro more differit: illorum nempe, qui vel Christum secundum inferiorem duntaxat animæ partem tristitatum ajunt, dum sacro illo in superiori animæ parte gaudio potiretur; vel qui summam tristitiam cum summo gaudio, ex divino miraculo, una eademque parte stare posse profiterentur. Tum demum, (quod multi ægris auribus excipiunt) propugnata a se quondam, cum juvenis esset, enodandæ salebrosæ difficultatis viam exponit. *Sed & olim juvenis, inquit, ut hinc jam nos demum extrinsemus, coram celebri Theologo concione diximus, quod sicut per totam vitam Dominus gloriam animæ quasi premebat, ne in corpus efflueret; sic saltem in Cruce retinuit gaudium, quod suapte natura ex clara Dei notitia prodiret. Gaudium fateor ex Deo viso in voluntate necessario nasci, non scius atque ex sole lumen, calorem ex igne. Sed extraxit aliquando sol radios suos, & ne calefaceret, comprehensus est etiam ignis. Quare nihil mirum videri cupiamus debet, si in hominum redemptione, per hominis unius dolores explenda, voluptas omnis reprimere, quam alias ex visione Dei proficisci nature ratio demonstrat. Quod ille subinde paucis adstruit, ac deum ita colligit, pietatis sue sensus in hanc suam ultimam assertionem explicans: Certe siue primo, siue secundo, siue tertio modo questionem solvas, miraculum facis. Sed & hoc postremum eo plausibilis, quo majores in nobis igniculos excitat tum præsentis, tum amoris, tum gratitudinis.*

Mirum quantum in piam illam assertionem nonnulli Theologi iovebantur, quos vellem non adeo in ferendis censuris fuisse præcipites. Hanc Henricus hereticam dicit, quodlib. 8. quæst. 7. Hanc Suarez 3. parte, disput. 38. sect. 3. & Vasquez 3. parte disput. 73. temerariam vocant. Hanc Joannes de Lugo disput. 22. de Incarnatione sect. 2. velut a Theologis constanter rejectam insectatur. Aliique bene multi, quos numerare longum esset, variis pro arbitrio censuris inurant. Sic sua quemque præjudicia occupant; quæque ipsi non probant, censoria virga, quasi ex senatusconsulto, configunt.

Itane vero diris devovenda sententia hæc? Meo quidem judicio esset etiam vir maximus venia aliqua dignus, si quid forte novi prociudisset, ex nimio pietatis sensu, quæ severiores Theologiae leges quandoque non consultit, minusque accuratam enodandæ difficultatis viam aperuisset, ex nimio, quo fervebat, commendandæ Christi erga nos charitatis desiderio. Sed nec eget ille venia; imo laude plurima dignus est: fatiusque sibi ii Theologi consulissent, si a censuris nulla, ut arbitror, ratione sulcis abstulissent. Sua quippe probabilitate frui Cani sententiam, multa probant.